



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt XI. Terræ hominis gratia creatæ, situs, quies, rotunditas,
inæqualitas, venustas, & feracitas, laude & admiratione digna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

tur. Quisquis ergo aterna non credens sola, qua transeunt, appetit: hunc quasi sine navi laborantem in fluctibus impetus aqua decurrentis secum trahit. Qui vero aterna credens, transitoria diligit, hic juxta navem naufragium facit: qui autem aterna bona credit & diligit, hic in navi positus fluctuantis maris undas securus pertransit: quia qui per desiderium fidei navem non transgreditur, iam quodammodo, in fluctibus, terra stabilitatem imitatur. Nunc igitur, quæ & terræ sit stabilitas, quæ securitas, quod emolumentum, aut detrimentum, videamus; de aquæ autem necessitate, utilitate, jucunditate, in hunc similemve modum expensa, quisquis antehac fuit temerarius judex, aut superbus contemptor, posthac dicat:

*Prò dij immortales, in aqua nunquã credidi
Voluptatem inesse tantam!*

C A P V T I X.

Terra, hominis gratia creata, situs, quies, rotunditas, inaequalitas, venustas, & feracitas, laude & admiratione digna.

§. I.

In terra, cõmuni omnium matre, alios invenire, qua vituperent, alios, qua laudet. IH-



Nisimum, inter elementa, locum terra possidet, de qua nos sumus, tanquam comuni omnium matre; cuique, non iam cum Bruto illo Romano, sed cum sanctis viris, originis nostrae memores, osculum saepe ferre deberemus, nos ipsos ita alloquentes: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sed sunt non pauci, qui etiam hinc inveniunt, quod Aristarcho dignum arbitrentur, similes ijs, qui Homeri versus acephalos, id est, capite, vel cauda diminutos excerpunt, tam multa alia integra pulchrâq; praetermittentes. *Idem enim faciunt,* ait Plutarchus, *qui de paucis vita malis queruntur, dissimulatis tot communitatibus.* Quod vitae humanae uniuersim, id etiam terrae conuenit. Spinas & tribulos quidam tantum in oculis habent, hinc punguntur. Alij etiam rosas & violas intuentur, & vulnera spinis facta inungunt oleo rosarum. Quanquam & alij errant, qui omnia, in terris, plena existimant floribus esse oportere, & quidquid calcant, rosam fieri volunt. Tutissimi utique eunt, qui media incedunt via, & dura mollibus, alta planis, amara dulcibus temperata contemplantur. Nam, & quae spinas

Liu. lib. 1.

Gen. 3. 19.

Plutarch.
in Moral.

spinas tantum sentiunt, eiulant: &, qui
 rosas tantum attingunt, luxuriant. Qui
 autem in diuinæ veritatis arcana penitus
 intrant, in vtrisque artes Moderatoris, lau-
 desque maximas perspiciunt, canuntque
 identidem: *miser cordia Domini plena est*
terra: VERE DICIMVS, IVRATI DICIMVS.
 Sic laudantium plenus est chorus. Cy-
 rus rex Persarum, teste Xenophonte, tan-
 tum in hominum animis excitare potuit desi-
 derium præstandi ea, quæ essent ipsi grata: ut
 omnes ipsius arbitrio regi perpetuo caperent.
 Tot nationes, ut ex eo ipso penderent, effecit;
 quot etiam enumerando percurrere, fuerit o-
 perosum; quacunque scilicet ex parte a regia
 quis ordiatur; siue ad ortum seu occasum, si-
 ue ad septentriones, seu meridiem. Idem
 desiderium longèq; maius excitat sapien-
 tissima DEI bonitas; vnde plurimis est à
 solis ortu, usque ad occasum, laudabile nomen
 Domini.

§. II.

Terra boni laudatores.

Agmen ducat Anna cantatrix, quæ ter-
 ram, cum fundamentis suis, & à Domino,
 & Domini esse, præclara illa Oda prædi-
 cavit

1. Reg. 2. 8. cauit: *Domini sunt cardines terra, & posuit super eos orbem.* Et quanquam hoc præclarum opus artificis est, tamen id quodammodo cum homine diuisit. Nam idem, qui dicit, *meus est orbis terra, & qui fecit calum & terram*, etsi vbiq̄ue est, neque v̄llo excludi loco potest, tamen terram videtur potius fecisse in hominum habitationem. Quocirca mox subiungitur: *Calum calum Domino; terram autem dedit filijs hominum.* Illis enim necessaria est, illis data est ad vtilitatem; illis ad amœnitatem. Inde, ex humili statione, in alto venerari debent diuinam maiestatem. Qua de caussa Ecclesiastes ait: *Deus in celo, & tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui.* Qui enim in alto habitat, videt omnia, quæ infra se fiunt; atque ita è cælo exsplendescit, vt ostendat, se neque terris deesse. Quamobrem idem Ecclesiastes ait: *Vniuersa terra rex imperat seruenti.* Hinc illæ à rege laudes: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Laus tua in fines terra. Et in omni terra gloriatur. Iubilate Deo omnis terra.* Ita ad citharam parens. Filij eius autem vox est: *Domine*
- Psal. 49. 12.
Psal. 113. 15.
- Ecclesiastes 5. 1.
- Ecclesiastes 5. 8.
Psal. 8. 2.
Psal. 47. 5.
Psal. 56. 6.
Psal. 65. 1.
- Prou. 3. 19.
Isa. 49. 13.

date cali, & exulta terra. jubilate montes laudem. Et tres pueri: Benedicat terra Domino: laudet, & superexaltet eum in secula. Dan. 3. 47.

Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in secula. Atque, ut sexcenta talia prætermittam, quanti terram facit Menander, in Naclero, in hunc modum loquens?

O charissima terra mater, quam mortalibus

Apud Athen. li. 4.

Mente non captis admodum veneranda es possessio?

Dipnosoph. Vi-

Itaque fundum à patre relictum si quis adeptus

stor. 5. Var. c. 20.

Abliquirit, eum par est ad extremum usque vite navigare,

Ac terra nunquam insistere, ut sentiat,

Cui bono à maioribus accepto non pepercit.

§. III.

Terræ vani cultores.

Sed satis fuit hæcenus progredi. Ulteriùs progressi ceciderunt, in terram collisi. Stetitissent, si terram coluissent, more colonorum. si, inquam, stinâ eam, non arâ coluissent. Nam tanti, apud eos, Tellus fuit, ut, siderum

Arnob.
l. 3. contr.
Gent.

fiderum & caelestis patriæ obliti, eam adorarent. Terram quidam è vobis, ait Arnobius, quod cunctis sufficiat animantibus victum, matrem esse dixerunt magnam. Eandem hanc alij, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant. Nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua constitutis. Quod si ratione profertur & asseratur certa, trina pariter numina, vobis interpretibus, nulla sunt: non Ceres, non Vestae deorum esse computabuntur in fastis; non ipsa denique mater deum, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea recte poterit nuncupari: siquidem unius terræ hæc sunt omnia nomina, & his sola prædicationibus indicatur. In terra, & cum terra multa atque præclara beneficia accipimus, sed dator est DEVS, non DEA, quæ nullà est; neque summum illud & sublime bonum in terris est quærendum; quia quidquid terra propinat, caducum est; cuius bonis vitæ non frui debemus, qui nati sumus, ut diuinitate fruamur. Hæc via est, quam Philosophi querunt, ait Lactantius, sed idèò non innenerunt, quia in terra potius, ubi apparent non potest, querunt. Quos sequuntur homines

Lactant.
lib de
opific.
Dei. c. 20.

mines terreni, hoc est, terram cælo præferentes; qui in fluxa hæc inhiant, more bestiarum. Quibus terra scandalum est, dū scabellum esse deberet, aut fulcrum; quo ad cælum scandunt, quicumque hominem carne non metiuntur. Pulchra hominī ante oculos posuit DEVS, vt, ijs in victimam oblati, pulchriora mereretur adipisci. *Qui si delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quam ratio eius exposcit; si, virtute contempta, desiderijs se carnis addixerit, cadet & premetur in terram,* ait Christianus Cicero. *Sin autem (vt debet) statum suum, quem rectum recte sortitus est, & promptè constantèrque defenderit; si terra, quam calcare ac vincere debet, non seruerit, vitam merebitur sempiternam.*

§. IV.

Terra situs, & immobilitas, contra quorundam vertiginem, firmata.

Hac ipsa de causa, loco infimo, creata est terra, vt quamuis utilis, quamuis coloribus picta, quamuis auro argentoque preciosa, tamen, etiam in animo nostro, infimum locum obtineret. In compendio dicam. æstimanda est, non adoranda. Vt æstimetur, multa exhibet emolumenta;

T pluri-

Idem La-
tant. de
opific.
Dei c. 20.

plurima tamen etiam metuenda, ne celo anteferatur: ut adeò, illa ipsa, quæ in ea metuuntur, seruiant ad nostram utilitatem. Sed, ne Conditori ingrati simus, vel obiter expendamus ea, quæ indidem Sanctos in DEI laudes rapuerunt; insuper etiam potentiam magnificentiamque opificis terra laudat, suspensa ingens moles, pilæ instar, in medio aëris; & totius uniuersi. Qui situs etsi est naturalissimus, tamen eò magis parit admirationem, quia tantum terræ pondus sine alis volat, sine branchijs & brachijs natat; nec sursum in aqua, nec deorsum in aura tendit, sed subsistit immobile astrictum sua grauitate; ut centrū decet, circa quod aqua, aër, æther, sidera mouentur; quin & homines, nunquam in vna sede morari sustinentes. Quiescentem in medio liquidorum elementorum terram, & mole sua se sustententem, quis non miretur? Teste Ruffino, Alexandria, in templo Serapidis, quadriga ferrea, nulla basi suffulta, nullis catenis gestata, in libero aëre suspensa, magnum intuitibus stuporem iniecit, & diuinum quoddam prodigium vulgò esse putabatur. Cecidit tamen illico, & confractum est totum

S. Basil.
lib. 1. Hexaem.

Ruffin.
lib. 2. hist.
Eccl. c. 23.

totum opus, vbi quidam seruus DEI, ad tollendam diuinitatis idololatricam opinionem, magnetem è fornice sustulit. Plinius tradit, ex solido magnete Dinocratem Architectum, Alexandriae, Arsinões templum concamerare inchoasse, vt in eo simulachrum eius è ferro, in aëre, pendulum videretur. Et venerabilis Beda memorat, inter cetera mundi miracula, equum Belerophontis ferreum, inter duos magnetes, eo artificio fuisse libratum, vt in medio aëre, sine fulcro, pendulus, expansisque alis, quasi volitans videretur. Similia de columba Architæ, deque Aquila Regionum montani scribuntur, quæ sola vi magnetica feripotuerunt. Nam quæ de Machometis sepulchro narrantur, fabulosa esse ostendit, in sua peregrinatione Hierosolymitana Illustrissimus Princeps Raziulus. Multoque magis fabulosa sunt, quæ Thalmud Hebræorum refert de Ieroboam, quem, asserit, vitulos aureos magnete, ad hominum deceptionem in aëre suspendisse. Quasi aurum æquè ac ferrum à magnete trahatur. Immo quàm id in ferro difficile, ac penè ἀδύνατον sit, ingeniosis rationibus, ostendit noster Athanasius Kircherus.

Plin. l. 34

Ven. Beda li. 2. de nat. rer. lib. de 7. mundi mirac.

Thalmud. Tract. Sanedrin. c. hegel.

Athanasius

- Kircher. rus. Ea tamen, quam ipse subjungit, arte,
lib. art. pulcherrimum in aëre volantem Cupidi-
mag. part. nem, mihi Augustissimus Imperator Fer-
4. probl. dinandus III. Ratisponæ, in Comitijs, An-
6. no 1641. monstravit, oculis & admira-
tione dignissimum spectaculum, quod etiã
maximos Imperij satrapas rapuit. Ita o-
pera manuum hominum magni facimus.
- Isa. 40. 12. An non pluris is est faciendus, qui *appendit*
tribus digitis molem terra, & libravit in pon-
dere mōtes, & colles in statera? Volat, natat,
sine conatu; hæret, sine magnete, ponde-
rosa terra, in medio liquidorum elemen-
torum. Quæ stabilis est, quia fundamen-
tum est; quiescit, quia caderent ædificia,
si ipsa moueretur; non cedit loco, quia
nihil eò recideret, vnde in altum mittere-
tur, cum tamen Scriptura dicat: *Qui in*
Eccli. 27. *altum mittit lapidem, super caput eius cadet.*
28.
- Lucret. Ipsa etiam volucres tranantes aëra leni
lib. 5. *Remigio alarum, celeri vertigine terra*
Abreptas gemerent silvas, nidōsque tenella
Cum sobole.
Sic igitur terra concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis mundi quasi limus
in imum
Confluxit grauis, & subsedit funditus
ut fax.

Inde mare, inde aër, inde ather ignifer ipse.

Potuisset terra moueri, & minore fortasse negotio, si non minore commodo; sed maluit sapientissimus Opifex, vt immensa illa calorum corpora, quotidie circa illam, per immensa spacia, rotarentur: quia *hic elucet*, ait Tycho, *incomprehensibilis Dei opificis imperscrutabilis sapientia, & potestas, qui cali corporibus tam vastis, omni cogitatione celeriore motum, eundemque simul, & uniformem, & diuisum, duplicemque, attribuere & voluit, & potuit.* Itaque Gilbertus, & alij, qui terræ vertiginem tribuerunt, fecerunt id, more laborantium vertigine, quibus, quia cerebrum turbatum est, stantia in gyrum verti videntur.

Quamobrem etiam Perpendicularium inconstantia ab Alexandro Calignono, nobili Delphinatæ excogitata, à Petro Gasfendo commentario exornata, à Ioanne Caramuel Lobkovvitz examinata, falsa reperta est. Putarat enim, *quouis die perpendiculum sic excurrere a Borea in Austrum, & recurrere ab Austro in Boream, vt ad limitem Austrinum perueniat in ipso meridie, ac in media nocte: Ad Boream verò hora sexta tam*

Pro lije
Louanij
An. 1643.
pag. 10.

Eccl. 1.
4. 5.

matutina, quàm vespertina. Nihil aliud obtinuit iste motus, quàm vt Mathematicos non fineret quiescere, donec & terram, & perpendiculum quiescere deprehendissent. Nimirum *oritur sol, & occidit, terra autem in aeternum stat;* nec eam poterit loco mouere vllus Archimedes, quamuis omnes artes, vires, machinásque suas impendat.

§. V.

An, & vnde Terra emineat supra aquas?

Illud quoque, in situ terræ, ad hominum vtilitatem, necessarium admirationem meretur, quòd, cum sua grauitate, infimum locum, ipsiq; adeò etiam aquæ subesse expetat, & verò etiam aquis, ab initio, tota fuerit cooperta; tamen, iubente DEO, contra naturæ indolem, extra aquas emerferit; ita, vt quodammodo super aquas fundata, firmatáque esse, ac dici posse videatur. Quo respiciens Propheta, de orbe terrarum ait: *super maria fundauit eum, &*

Psal. 23. 2.

Pl. 135. 6

super flumina præparauit. & alio loco: Qui firmavit terram super aquas. Quod non rectè quidam voluit valida ventorum immisione factum, vt contigit in aquis diluuii desiccandis, quando Dominus, *aduxit spiritum*

Gn. 8. 1,

ritum

ritum (id est, ventum siccum, vt exponit Lyranus) *super terram, & imminuta* Exod. 14. *sunt aqua;* & quando via, per mare, transitur^{21.} Israëlitis exsiccata est. Ingens fuisse miraculum, vno die, à vento tantam vim aquarum exsiccare, miraculum autem, sine magna necessitate, ponendum non est, vt quidam ratiocinantur. Quæ tamen ratio me tantopere non moueret, quia etiam, cum extendisset *Moyſes manum super mare,* abstulit illud *Dominus, flante vento vehementi, & vrente,* TOTA NOCTE, & *vertit in siccum: diuisaq; est aqua.* Si ibi vna nocte id fieri potuit, cur non etiam vno die hîc? quantumuis tertio die, discoopertæ sint plagæ terrarum. Illud maius apud me pondus habet, quòd, tertio die, non dixerit *Deus, exsiccantur, sed, congregentur aqua,* Gen. 1. 9. *qua sub calo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellauit maria.* Collectæ ergo sunt aquæ, non dissipatæ in aërem. Quæ collectio etiam non facta est condensatione, qua aquæ aliquid quidem loci relinquunt; non tamen propriè congregantur. Quanquam credibilior hic est modus, quam prior. Poterant enim prius aquæ

us aquæ fuisse subtiliores, quales nunc sunt pluuiiales; aut etiam his tenuiores, nempe qualis est vapor, aut nebula caliginosa; cum ipsa diuina sapientia dicat: *Et sicut nebula texi omnem terram, & apud Iob, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantie, obuoluerem.* Talis ergo vel vapor, vel aqua, si totam terram operuit, utique postea minorem locum occupauit crassata in falsum mare, ac spissum humorem. Quæ sententia, si de nebula & nube intelligatur, cogitandum est, terram initio factam fuisse,

Eccli. 24.
7.
Iob. 38. 9.

Lucret.
lib. 5.

*Non alia longè ratione, ac sæpe videmus,
Aurea cum primùm gemmantes rore per
herbas*

*Matutina rubent radiati lumina solis,
Exhalantque lacum nebulam, fluitque
perennes:*

*Ipsa quoque interdum tellus fumare vi-
detur.*

*Omnia quæ sursum cum conciliantur in
alto,*

Corpore concreto subtexunt nubila calum,

§. VI.

*Cur aquæ terram non obruant?
Verùm hæc opinio abit à ventorum
proprio*

proprietate. Et si enim vapor, & nebula, ut
 nubes re ipsa sint aquæ, ob tenuitatem ta-
 men suam, non solent aquæ nomine voca-
 ri. Quando ergo dictum est: *Congregen-*
tur aqua, eiusmodi aquæ congregatæ sunt, Gen. 1. 9.
 ut earum congregationes, non vapores,
 non nebulæ, non nubes, sed *maria* appella-
 rentur. His aquis prius non nebula vera,
 sed velut nebula aut nube circumfusa, ter-
 ra tegebatur. Quare, ut mundi Machina-
 tor terram aquis liberatam, hominibus ad
 habitandum præpararet, terram, quæ sub
 aquis circumquaque æqualis erat, omni-
 potenti virtute sua reddidit inæqualem,
 eiusque & exteriorem figuram immutavit,
 & viscera grandibus lacunis interrupit.
 Itaque

Sidebant campi, crescebant montibus altis Lucret.

Ascensus: neque enim poterant subsidere loc. cit.
saxa,

Nec pariter tantundem omnes succumbere
partes.

Seu, ut sacer vates psallit: *Ascendant mon-* Psal. 103.
tes, & descendunt campi in locum, quem fun- 6.
dasti eis. Quemadmodum ergo, ante ter-
 tium creationis diem, terra erat adobruta
 aquis, & *abyssus sicut vestimentum amictus*
T 5 eius,

eius, super montes stabant aquæ (adeò multæ atque altæ erant) ita ab increpatione tua fugient (aquæ) ait idem vates, a voce tonitruui tui formidabunt. Vox tonitruui, hoc est, potentissima erat: Congregentur aquæ, quæ sub calo sunt, in unum locum, & appareat arida. Hac voce dirupta est terra, & imensas quasdam effecit, tum intra, tum extra se, cavitates, aggeresque, jecit; ut & moles essent fluctibus oppositæ, & fossæ, ac profundiores alvei, in quibus aquæ prius, per omnem terræ superficiem vndique æqualiter diffusæ, tanquam in vasis amplissimis, reciperentur; altioresque terræ montes, cumulos, & campos denudatos relinquerent. Illæ enim, quasi præ formidine, in fugam versæ, statim in locum sibi à Numine paratum confluxerunt; unde sine eius nutu non excurrunt. Qua de

Pl. 103. 9. *caussa ibidem dicit Propheta: Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.*

Idem Lucret. ibid.

His igitur rebus retractis, terra repente, Maxima quæ nunc se Ponti plaga carula tendit,

Succidit, & salso suffudit gurgire fossas.

§. VII.

Aquas terris non esse altiores, Non

Non enim illis subscribendum arbitror, qui censuerunt, aquas, ut terram detegerent, minusque extenderentur, ad Conditoris vocem ac mandatum, ita refugisse, ut in celsissimam altitudinem intumescerent; adeo, ut etiam nunc terram altitudine excedant. Siquidem omnia flumina, tandem intrant in mare; quæ cum per inferiores terræ partes semper ad ima decurrant, necesse est, mare non modo non celsius, sed terrâ longe depressius humiliusque esse. Aiunt quidem diuinæ litteræ, Deum posuisse legem, terminos, & præcepta aquis, & vices, ac ostia, ne transirent fines suos. His tamen testimonijs non conficitur, aquas, postquam non amplius efficiunt propriam spheram terræ proximam ac superextensam, nunc adeo super altitudinem terræ elatas esse, ut, nisi diuina vi coercerentur, facile, & suapte natura, erumperent, totamque denuo cooperirent. Licet enim naturales inclinationes creaturis ratione, immo & sensu carentibus à Deo indite, in diuinis libris subinde *leges* (non essentialiter, sed participatiuè quodammodo) vocentur, non est tamen credibile, tales *leges* naturalibus rerum inclinationibus

Eccles. 1.
7.

Pro. 8. 29.

Ier. 5. 22.

Iob. 38. 8.

Ita S.

Thom. 1.

2. q. 90. a.

1. ad 2.

natio-

nationibus perpetuò aduersantes, fuisse
 datas. Alioqui mare, contra propriam
 naturam & inclinationem, perpetuo mira-
 culo eleuatum deberet contineri, ne ad in-
 feriores locum, sua grauitate efflueret.
 Quod in concauis terræ sinibus colloca-
 tum non facit. Ascenderet, si exiret.

§. VIII.

*Quomodo aqua dici possint in vnum
 locum collectæ?*

Secta igitur in varios sinus est terra, &
 aquæ ipsæ diuisæ sunt, in lacus, amnes,
 fluuios, & maria; tametsi congregatæ di-
 cantur *in vnum locum*; in specie, non nu-
 mero vnum scilicet; seu in vnius generis
 locum, quod idem est, ac si dictum esset,
 congregentur aquæ in loca terræ humilio-
 ra. Ita eum nos locum intelligere cogunt,
 multa maria, in diuersis terræ tractibus
 separata: quæ quidem omnia ferè cum
 Oceano conjuncta quodammodo videntur;
 attamen mare Caspium vndique est
 conclusum; & in Palæstina, circa regio-
 nem Sodomorum & Gomorrhæorum, ma-
 re quoque illud, in quod sese infundit
 Iordanes, quod Scriptura *salsissimum* ap-
 pellat, ab Oceano prorsus est diuisum.

Sicut

Sicut & stagna, & lacus plurimi, cum Oceano non conjunguntur, nisi fortè per occultos subterraneosque terrarum meatus, per quos aquæ maris iterum ad fontes, & ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur. Quam ob causam, in Genesi, non dicitur, *congregationem*, sed *congregationes aquarum appellavit maria: & maria, non mare*, multa eiusdem generis loca receptaculaque aquarum nominavit, ut eruditè annotavit Torniellus.

Eccles. 3.
7.

Augu-
stin. Tor-
niell.
Mundi
die 3.

§. IX.

*Terrarum, & aquarum elegans divisio,
spheris expressa.*

Ex his de situ, quiete, ac diuisione, diuisioneque terræ disputatis, quæ necessaria sunt, ad hominum in ea habitationem, etiam pulchritudo illius enitescit, quam illi conciliat rotunditas, varietas, fecunditas. Figura enim terræ est rotunda, hoc est, ut perfectissima, ita & elegantissima, quam projectâ in Lunam umbrâ eclipses ostendunt; & testantur, qui ex Hispanijs, occasum versus, soluentes, immensis itineribus, ad incognitas mundi partes, cursum solis, imitati, per hemisphærium huic nostro suppositum, semper recurua via, nauigaerunt.

Paul.
Burg.
super c. I.
Genes.
addit. I.

runt. Illi enim, per Orientales insulas, tandem, toto terrarum orbe emenso, trium annorum spatio, ad idem Hispaniæ littus, vnde exierant, redierunt. Quia verò non est alia aquæ, alia terræ sphaera, vt tamen contendit Paulus Burgensis, sed vnus efficitur ex vtroq; elemento globus, in quo terra aquis longè est maior, & cuius centrum est idem cum centro vniuersi; idcirco mira quædam vel ex ipsis aquarum ductibus, & tractibus terrarū varietas existit. Fluij enim veluti quædam venæ campos interfecant, & riui gratissimo aspectu præta distinguunt; nihilque est aspectu iucundius, quàm, ex alta arce, aut monte, tanquã fimbriata peristromata, regiones subpatentes fluminibus discriminatas intueri. Quod vel in exiguis his Mathematicorum globis agnoscere possumus, in quibus illi Europam, Asiam, Africam, Indiam, & totum hunc terrarum orbem, cum lacubus, amnibus, & ipso Oceano delineatum depictumq; curiosorum oculis consueuerunt representare.

§. X.

Amœnus terra aspectus.

Sed longè inferior est imago veritate.

si

Si quis te currus igneus cum Elia, aut bonus genius cum Habacuc, in sublime, supra terras, attolleret, vnde oculis tuis totæ sese subijcerent nationes, longè jucundiora videres, quàm tibi proponit in tabula penicillus. Quanta inde tibi varietas, amœnitas, latitudo appareret? Hinc camporum in infinitum patentium fusa planities. Hinc montium magnis & niualibus surgentium jugis erecti in sublime vertices. Inde dejectus fluminum, & ex vno fonte in orientem, occidentemque defusi amnes: vel summis cacuminibus nemorantantia. Aliunde varij vrbiũ situs, & seclusæ nationes locorũ difficultate. Quarum aliæ se in erectos subtrahunt montes; aliæ ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur. Nec non adjuãa cultu seges; & arbuta sine cultore fertilia; & riuorum lenis, intra prata, & amœnissimus discursus; & littora in portum recedentia; sparsaque tot per vastum insulæ; quæ interuentu suo, velut gemmæ, maria distinguunt. Nec ipsa te formidabilis alioquĩ aquarum immensitas non oblectaret. Ex alto tibi ostenderetur vinculum terrarum Oceanus, continuatio gentium, triplici sinu

sinu

finu refulgens, & ingenti licentia exæstians; medióque rursus in mari nitentes ignium faces nocturno tempore: interdum autem, quietis, & sine vento fluctuantibus aquis, immani, & fidem excedenti magnitudine terrentia animalia, aut animalibus similia simulachra: quædam grauias, & alieno se magisterio mouentia; quædam velocia, concitatis perniciores remigijs; quædam haurientia vndas, & magno præter nauigantium periculo, rotos fistulis fluuios efflantia. Aqua enim spiritu acta, quasi per diabetem, siphonum modo, emicat. Aspiceres indidem nauigia, quas non nouêre, terras quærentia. Aspiceres nihil humanæ audaciæ intentatum. Spectares vtrumque Oceani littus; & mare tanquam hospitium fluuiorum, fontem imbrium, derivationem alluionum, inuentionem com meatuum; cingulum terrarum, quo sibi distantes populi copulantur; limitem hostium, quo præliorum remouentur pericula; liquidum murum, quo barbaricus furor clauditur; subsidium in necessitatibus, refugium in periculis; gratiam in voluptatibus; salubritatem valetudinis; separatorum conjunctionem; itineris

neris compendium; transfugium laborantium; subsidium vectigalium; sterilitatis compensationem; deniq; etiam formidinem audacissimorum; laboris officinam; sedem tempestatum; patriam naufragiorum, theatrum tragœdiarum. Quorum spectaculorum tristitiâ ipsâ lætareris. Si quidem

*Suaue, mari magno, turbantibus aquora
ventis,* Lucret.
lib. I.

E terra magnum alterius spectare laborem:

Non quia vexari quœnquam est jucunda voluptas,

Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

S. XI.

Theodoretus, è terra aspectu in Deum ascensio.

Ad hunc modum quidam terras, aquis discriminatas, sunt cum voluptate, contemplati, & verò etiam accensi ad amandum terræ marisque Conditoem. *Terra situm considera, inquit Theodoretus, & multiformem eius speciem. Nec enim omnia vel supina, vel plana, aut etiam ardua sunt, sed in montes, silvas & campos tota terra diuisa est.* Theodoret serm. 1. de prouid.

V Videas

Videas enim, in patentissimis campis, colles in altum surgere; inter montes autem medios, loca prona & plana maris sinus forma sua referre. Sed & ipsos montes, in hominum usus & utilitatem rerum; Conditor distribuit: quos dum vallium precipitijs discrevit, hibernis & nivalibus aquis meatus struxit, vel alneos; tum hominibus quoque, in iniquis & asperis locis, faciles viarum semitas extendit. Præterea montes quidem fabricarum arti materiam exhibent; campi verò montium cultoribus frumenti copiam & usum retribunt. Sed & situs ille varius non alit modo, verum etiam intuentium oculos, mirifice delectat. Quæ enim unam & eandem formam habent, mox satietatem sui pariunt. Dic ergo mihi, quisnam sit, qui hæc tam pulchrè disposuit? qui tantis facultatibus hæc instruxit, ut tot annorum evolutions thesaurum hunc non potuerint consumere? quis item ille sit, qui ea, quæ in rerum natura sunt, firma & immota conseruat?

§. XII.

Terra fertilitas.

Amœnitatem hanc terræ multò faciliorem eius fertilitas & frugifera beneficentia. Nam quia pecora nobis, pecoribus

ribus gramina seruiunt, natura eã herbescente viriditate elegantissimè vestit; viroremq; istum mira florum, pomorum, cerarum, aliorumq; fructuum varietate aspergit, vt veluti Phrygio opere distincta, aut picturato peristromate decorata videatur. Sic nihil nobis in terra deest, dum illa liberaliter venusta, & pariter venustè est liberalis: *vt huic vni rerum natura partium, propter* Plin. lib. 2. *eximia merita, cognomè indiderimus materna* cap. 63. *venerationis*, Plinio teste. Omnia ad hanc concurrunt fertilitatem. Nam & aqua, quæ pisces mortalibus suppeditant, terram reddunt irrigatione facundam: & diuitias, ornatumque maximum largiuntur. Vnde enim lapidum gemmarumque fulgor, & inter rapidorum cursum torrentium aurum arenas interfluens, nisi ex aquis? vt, in Tago, Pactolo, Hermo, hodieque Indiae nouae fluentis, atque ora Piscaria, reperire est. Ibi etiã conchæ, quæ margaritas pariunt, & purpuram fundunt: ibi vniones & lapilli totis censibus & patrimonijs æstimati. Nec ibi tantum opes, sed in ipsis terræ visceribus, intra asperas rupes & saxa, ferrum, æs, argentum, aurum, & omnis generis metalla, mineraliãque

Job. 28. 1. gignuntur. Vnde meritò ille ait: *Habet ar-*
gentum venarum suarum principia: & aur-
locus est, in quo conflatur. Ferrum de terra
tollitur: & lapis solutus calore in es vertitur.
 In siluis quoque non auium duntaxat con-
 centus dissonus aures mulcet, sed lepus-
 culorum, ceruorum, aprorum, aliorumq;
 animalium incredibilis varietas iuxta, &
 copia hominibus alendis & oblectandis est
 à DEO collocata. Atque vt nomine ab vno
 terra omnis discatur, apponam, quæ Xe-
 nophon de terra Attica pronūciauit, cuius
 Xenophon. lib. de ratio-
 nib. redi-
 tuum. regionis scribit, talem esse naturam, quæ
 maximam prouentuum vim suppeditare pos-
 sit. *Anni tempora, ait, hinc admodum esse mi-*
tia; fructus ipsi, qui proueniunt, testantur.
Etenim quæ alibi ne pullulare quidem possent,
hic fructus suos proferunt. Atque vt solus
ipsum, ita etiam mare, quod regionem ambit,
omnium rerum feracissimum est. Quia etiam
quæcunque bona diu, singulis anni temporibus
suppeditant, ea bona hic & tempestiuè admo-
dum incipiunt, & tardissimè deficiunt. Ne-
que tantum potior est ijs, quæ in annos sin-
gulos & florent, & senescunt: sed habet & ha-
regio perpetua quadam bona. Nam saxi natu-
perennis est, in ea copia, de quo fana pulcher-
 rima.

rima, pulcherrima ara, signa deorum maxime
decora sunt: quod quidem saxum complures
& Graci, & Barbari desiderant. Præterea so-
lum quoddam est, quod aratum non ferres
fructum: at si fodiatur, multò plures alit,
quàm si frumenti ferax esset. Etenim diuino
quodam munere haud dubiè, sub eo est ar-
gentum.

§. XIII.

Eiusdem terra, statim postquam ab initio
creata est, quanta, & unde fuerit
fertilitas?

Atticam atque Athenas suas ita lau-
dauit Xenophon. Nimis contracta laus
est, quæ in vnum mundi angulum com-
pingitur: in vniuersa terra, admirabile est
nomen Domini. Etsi enim non omnis fert
omnia tellus, & partim ob varietatem, par-
tim ob humanam inducendam, ex mercium
permutatione, societatem, alia alibi nas-
cuntur; tamen vbiq; aliquid crescit, quod
profit, immo & quod pulchrum sit. Hinc
jure, vt litteratus ille Iudæus scripsit, Ma-
ter terra esse videtur. Quapropter & priscis
illis placuit, vt vocaretur *ἡ γῆ μήτηρ*, composito è
matre & terra nomine. Non enim terra mu-
lierem (vt dixit Plato) sed mulier terram

Psal. 8. 2:

Phil. in
Cosmo-
poeia.

imitatur: quam verè Poëtica gens omnipotentem, frugiferam, Pandorámque nominare solita est: quippe causam generationis & perpetuitatis tam stirpium, quam animalium. Merito igitur terra quoque antiquissima materum & facundissima natura, tanquam mater dedit amnium fluentia fontinúmque, ut stirpes rigentur, & omnia animalia potum copiosum habeant. Itaque aqua pro lacte est, & plantas educat terræ permista. Quæ tamen ipsa etiam è terris reducta locum plantis dedit, cum mundus crearetur. Quam primùm enim, ad Dei mandatum, aqua recessit, terramque retexit, illico omnis generis plantæ emerferunt; non quidem vi naturali seminis, in ea, sati, neque per incrementa eas ad perfectionem ducens, ut nunc fit; sed tanta erat virtus divini verbi, ut extemplo, omnia herbarum arborumque genera, perfectissimo statu enitentia apparerent. Vnum momentum erat, quo frondes, fructus, semina, & quidquid plantarum indoles exigat, omnia maturerunt. Quod illa sacri textus verba indicant. *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum; & habens unumquodque*

Gen. 1. 12.

quodq; sementem, secundum speciem suam.

Tunc enim demum, quæ utcunque viuunt, perfecta esse censentur, teste Philosopho, **Arist. li. 4^o Meteor.**

quando sibi simile possunt generare. Qui

modus idcirco necessarius fuit, ut illico

hominibus, ceterisq; animalibus mox cre-

andis esca posset suppeditari. Vtrum au-

tem eadem, in omni loco, terræ fuerit fa-

cies, alia quæstio est. Potuit enim alibi,

pro alia anni constitutione, vel vernare,

vel hyemare solum; potuerunt arbores sine

folijs, floribus, fructibusque produci; potue-

runt plantæ non actu, sed potentia atque

in suis duntaxat causis procreari, ut po-

stea, congruis temporibus, crescerent,

& ad perfectionem suam, vi naturali, per-

uenirent. Haud enim affirmat scriptura,

omnes, ubiq; terrarum plantas, vno atque

eodem tempore, adultas esse iussas; sed uti-

que in locis, ad quæque gignenda idoneis.

Discrimina porro & varietates plantarum,

quæ pene sunt innumerabiles, virésque ita

sunt multæ, ut numerum, & peritissimos

etiam ac istarum rerum curiosissimos fu-

giant. Axioma est Cabalisticum: *Non est*

herba inferius, quæ non habeat stellam suã su-

perius, quæ dicat ei, CRESCERE. Nimirum adeo

in-scrutabilis est DEI Creatoris, in vno-
quoque rerum genere, virtus, potentia, sa-
pientia, & humani ingenij infirmitas, vt
principes Philosophorum ignorantiam su-
am fateri coacti dixerint: *Maximam par-
tem eorum, quæ scimus, minimam esse eorum,
quæ ignoramus.* Hæc Sancti considerantes,
Pl. 64. 10. in illas laudes effusi sunt: *Visitasti terram,*
Pl. 66. 7. *& inebriasti eam. Terra dedit fructum suum.*
Plal. 65. 4. *Omnis terra adoret te, Deus,* sed præcipue
præcipua, hoc est, Paradisus, prima homi-
nis sedes; cuius præstantia non est hic à
nobis prætereunda; vt agnoscamus, in-
quam præclara parentes nostros, eorum-
que, si in innocentia perstitissent, succes-
sores, voluerit D E V S habitare terra.

C A P V T XII.

*Paradisi terrestris præstantia &
voluptas.*

§. I.

Paradisi eminentia, & locus.

Olaus
Magn.
lib. 11.

REfert Olaus Magnus, apud Au-
strogothos, non longè à lacu Ve-
neris, montem esse eminentissi-
mum, vulgari gentis sermone *Kindaculla*
dictum, tantæ altitudinis, vt à nauiganti-
bus